

DE MARI AEGAEO AD SICILIAE LITORA SITO  
(LUC. *PHARS.* II, 665)

Lucanus in fine secundi *Pharsaliae* libri describit, quomodo Caesar, ut Pompeio obstaret, ne Brundisio cum exercitu proficisceretur, portus exitum molibus intersaepserit, quas in fretum detrudere iussit. Talem laborem omnino fuisse irritum hisce verbis poeta explicat (II, 663–668):

Cedit in immensum cassus labor; omnia pontus  
haurit saxa uorax montesque inmiscet harenis,  
ut, maris Aegaei medias si celsus in undas  
depellatur Eryx, nullae tamen aequore rupes  
emineant, uel si conuolso uertice Gaurus  
decidat in fundum penitus stagnantis Auerni.

Cum tamen Gaurum montem Campanum admodum propinquum lacui Averno esse constet, Erycis mentio, qui in occidentali parte Siciliae situs sit, in mare Aegaeum depellendi inepta videtur ideoque ad emendationem aliquam stimulat.

Multi editores, praesertim ante saeculum vicesimum, utramque lectionem, sc. et *Aegaei* et *Eryx* conservabant volebantque Aegaeum pro quolibet alto mari adhibitum esse.<sup>1</sup>

Haec nihilominus post mentionem Gauri Avernique, qui non solum geographice inter se congruunt, verum etiam insoliti in imaginibus poeticis sunt, ut iam supra diximus, mira et docto poeta vix digna videntur. Non insulse Bentleius hic notavit<sup>2</sup> verbum proiciendi cum monte et mari tam longe distantibus quadrare magis quam depellendi; quod enim depelli dicimus, id plerumque haud procul a pristino situ cadit.

---

<sup>1</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia*, sive *De Bello Civili Caesaris et Pompeii* lib. X, ex emend. V. C. H. Grotii, cum eiusdem ... notis. Accesserunt *Variarum Lectionum Libellus*, et rerum ac verborum *Index locupletissimus*, opera Th. Pulmanni et al. concinnati (Antverpiae 1614) 326; M. Annaei Lucani *Pharsalia* ed. with English Notes by C. E. Haskins (London 1887) ad loc.; M. Anneo Lucano, *La Guerra Civile (Farsaglia)* libri I–V. Testo critico, trad. e comm. a cura di G. Viansino (Milano 1995) ad loc.

<sup>2</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia* cum notis... integris et adauctis Rich. Bentleii ... quibus varias lectiones ... addidit C. F. Weber (Lipsiae 1821) ad loc.

Alii vero,<sup>3</sup> nihil emendantes, Lucanum ideo Erycem in litore maris Aegaei posuisse aiunt, quod illud Aeneidos memoria teneret (XII, 701): “Quantus Athos aut quantus Eryx...” Quam suspicionem Oudendorpio Athos paulo infra (v. 677) in alia imagine adhibitus confirmat. At vix credibile videtur Lucanum, etsi graviter in rebus geographicis interdum errat, situm Erycis ignorasse, Siciliae montis post Aetnam notissimi. Praeterea vidimus alibi (IX, 919) thapsum “Erycinam” appellari—quod gramen re vera, teste Nicandro (*Th.* 529), in Sicilia gignitur.

Quidam veteres editores<sup>4</sup> etiam “Athos” pro “Eryx” inserendum censebant. Saepe enim ille a poetis in huiusmodi imaginibus depingendis adhibetur: praeter Vergilium invenimus apud Ovidium (*Met.* XI, 554s.), qui una cum Atho Pindum in mare deicit, et Valerium Flaccum (*Arg.* IV, 322), ubi “pars Erycis vel totus Athos” decidit. Non esse “Eryx” in “Athos” mutandum iam Oudendorpius et Bentleius demonstrarunt: primo quia nequit scribae error explanari, secundo quia Athonis mentio post pauca iterum fiet.

Saepius autem “Aegaei” emendabatur. Alii alia proposuerunt: “Aetnaei”, “Hennaei”, “Ausonii”, “Ionii”, “Hadriaci”. Omnibus tamen huiusmodi coniecturis sine dubio “Aeolii” praestat, a Bentleio inventa, cui Housman postea assensus est. Hic autem ita coniecturam explanavit:<sup>5</sup> falsum illud AEGAEI ex ambiguo AEGIII, quod scriba viderat, profluxit. Mare enim, quod Siciliae litora pulsat, Aeolium semel apud Silium Italicum appellatur (*Pun.* XIV, 232–234):

Litora Thermarum, prisca dotata camena,  
armauere suos, qua mergitur Himera ponto  
Aeolio.

Hanc coniecturam, sc. Aeolii, plerique editores post Housman accipiunt, in quorum numero etiam Van Campen et Fantham sunt, qui uberrimis notis secundum librum *Pharsaliae* haud ita pridem instruxerunt.

Gottlieb Cortius primus fuisse videtur, cui in mentem venit nomen maris, quo Eryx depellendus est, cum insulis Aegatibus, Siciliae vicinis,

<sup>3</sup> M. Annaei Lucani Cordubensis *Pharsalia*, sive *Belli Civilis Libri Decem* ... curante F. Oudendorpio (Lugduni Batavorum 1728) ad loc.; Haskins (supra n. 1) ad loc.

<sup>4</sup> “Sabellicus et alii”, teste Farnabio: M. Annaei Lucani *Pharsalia*, sive *De Bello Civili Caesaris et Pompeii* lib. X. Additae sunt ... notae... Th. Farnabii (Amstelodami 1643) ad loc.

<sup>5</sup> M. Annaei Lucani *Belli Civilis Libri Decem* editorum in usum ed. A. E. Housman (Oxonii 1926) ad loc.

coniungere.<sup>6</sup> Ideo voluit Aegatum pro Aegaeis ponere. Burmannus vero, quamquam illius coniecturae mentionem fecit, hoc ei opponit, non solere in lingua Latina maria genetivo casu nominis insularum, quas continent, designari. Ipse autem putat lectionem manuscriptorum servari posse, Lucanum tamen hoc modo de illa parte maris Mediterranei, quae insulis Aegatibus adiacet, loqui. Equidem credo haud exiguas esse causas hoc ipso modo locum intelligendi.

Primum omnium, multo propiores Eryci insulae Aegates sunt, quam Aeoliae, quas Bentleius et Housman indicant.

Praeterea Eryx et insulae Aegates in memoria hominis eruditi non solum geographicis, sed etiam historicis nexibus coniuncti erant. Recordemur duos Livii locos:

Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite, quae terra marique per quattuor et uiginti annos passi sitis (XXI, 10, 7).

Experiri iuuat utrum alios repente Carthaginienses per uiginti annos terra ediderit an iidem sint qui ad Aegates pugnauerunt insulas et quos ab Eryce duodeuicenis denariis aestimatos emisistis (XXI, 41, 6).

His scilicet in locis de fine belli Punici primi agitur, cum classis Carthaginiensium, dum Hamilcari auxilium ferebat, qui tunc temporis ab Erycis arce Romanos arcebat, a Romanis oppressa est. Hamilcaris autem exercitus magna pecunia repensa Erycem relinquere coacta est. Apud Silium Italicum Aegates fere pro nomine appellativo adhibentur; Erycis autem cacumen Veneri locus fuit, unde pacem post bellum Punicum primum componendam contemplabatur (*Pun.* VI, 697).

Porro videamus aliam Pharsaliae partem, quae magni momenti in nostro loco tractando est. Nam in libro quinto iterum Aegaeum pro “mari insularum Aegatum” poni videtur (V, 608–614):

Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum  
Aeolii iacuisse Notum sub carcere saxi  
crediderim; cunctos solita de parte ruentis  
defendisse suas uiolento turbine terras,  
sic pelagus mansisse loco. nam parua procellis  
aequora rapta ferunt; Aegaeas transit in undas  
Tyrrhenum, sonat Ionio uagus Hadria ponto.

Omnes fere, qui hunc locum vel explanabant, vel alias in linguas vertebant, autumabant, cum hic insolita vi irruens procella describatur,

---

<sup>6</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia* cum comm. P. Burmanni (Leidae 1740) ad loc.

plane de illo mari, quod semper Aegaeum vocamus, agi. Cautioris, etsi aliquantulum mirae opinionis fuit Cortius:<sup>7</sup> Lucanum scilicet Aegaeum et Tyrrhenum tam propinqua putare, quam Ionium et Adriaticum. Consentit Cortio Cornelis Francken, cui mare Aegaeum hic usque ad Siciliam extensum esse videtur.<sup>8</sup>

At quid si et hic illud “mare insularum Aegatum” intelligi debet? Nam collisio eius cum mari Tyrrheno optime cum collisione inter Ionium et Adriaticum congruit; praeterea minus dubitandum erit pelagum—hoc est vel totum Oceanum vel totum mare Mediterraneum—mansisse loco, ut paulo supra (v. 612) Lucanus ait. Aegatum denique mentio priscam difficultatem, quam hic locus praebet, solvere possit: servandum enim est lectio “nam parva”, quam codices recentiores plurimaeque editiones in “nec parva” mutant, Housman vero in “nam priva”, quandoquidem omnia haec maria vix nomen “parvorum” patiantur. Sin autem “Aegaeas undas” de undis “maris insularum Aegatum” dici putemus, omnia maria confinia faciamus—quorum partes confines sine ullo scrupulo “parva aequora” appellare valemus.

Insolitum quidem videtur “mare insularum Aegatum” “Aegaeum mare” appellari. At revocemus in memoriam, quam libere (quin etiam neglegenter interdum) Lucanus nomina geographica usurpet. Ut exempla afferam, Seres apud eum Nili fontibus vicini sunt (X, 292); qui Dirrachium petit, modo Borea (II, 646), modo Austro (III, 1) propellitur. Pro nominibus quibusdam geographicis usitatissimis interdum consona eis adhibentur, vel lapsu vel consulto. Tertio in libro Massilienses a Caesare oppugnati lares suos e Phocide olim transtulisse aiunt (v. 340), quamquam Massiliam Phoceae coloniam fuisse constat.

Quem lapsum non esse consulto factum similes loci apud alios scriptores probant, sc. apud Senecam (*Dial.* XII, 7, 8), apud Gellium (X, 16, 4) et apud Sidonium (*Carm.* XXIII, 13). Animadvertamus tamen aliam occasionem: in sexto Pharsaliae libro (v. 449) Babylon non more solito Persica, sed Persea inscribitur; ante Lucanum hoc nomen adiectivum semper ad Perseum spectat, ad Persas vero spectans non nisi apud Statium invenitur (*Theb.* I, 719).

Persea illud pro Persica eo maioris nobis est momenti, quod Phocida pro Phoceae lapsu posuisse, hic vero consulto licentiam commisisse poeta videtur—ita ut etiam cum illo Aegaeo rem se habere censeo.

<sup>7</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia* cum notis ... Gottl. Cortii ... aliorumque. Editionem morte Cortii interruptam absolvit C. F. Weber. Vol. I (Lipsiae 1828) 299.

<sup>8</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia*. Cum comm. critico ed. C. M. Francken (Lugduni Batavorum 1896) ad loc.

Interrogari denique id solum possit, quo modo Latine recte nomen adiectivum ab insulis Aegatibus derivatum sonat? De adiectivo illo haud illepidum quendam casum narrare velim. In scriptis quidem Latinis omnino illud abest (quo paulo magis probanda Burmanni coniectura videtur), Graece vero Αἰγούσσαῖος apud Stephanum Byzantium (*Ethn.* s. v. Αἰγούσσα) invenimus – a nomine scilicet insularum Aegatum, quae Graece Αἰγοῦσσαῖαι appellantur. Burmannus<sup>9</sup> Stephanum ita laudat: “Stephanus de urbibus inde deducat Aegusaeum”. Tum Lemaire ille in editione sua ait:<sup>10</sup> “Hoc autem Stephanus non Aegaeum, sed Aegusaeum vocat”. At Bourgery, cum prave intellexisset, de quo Stephano ageretur, Aegusaei in apparatu critico posuit<sup>11</sup> et Roberti Stephani philologi praeclari, qui saeculo decimo sexto vixit, Thesaurum Linguae Latinae composuit et pater Henrici Stephani fuit, coniecturam nuncupavit. Idem scripsit in apparatu critico Georgius Luck,<sup>12</sup> eo tantum discrimine, quod, ut inconvenientiam metricam vitaret, Aegusae pro Aegusaei posuit. Ultimum autem incredibili huic confusione Fantham tribuit, quae coniecturam *Aegatis* a Stephano excogitatam memorat,<sup>13</sup> quamquam Bourgery verus eius auctor fuit.

Putamus igitur in *Phars.* II, 665 et V, 613 mare Aegaeum de “mari insularum Aegatum” dici, primum quod cum contextu rerum optime congruit, deinde quod a Lucani modo scribendi huiusmodi res insolitae non prorsus abhorrent.

Arsenius Vetushko-Kalevich  
avetushko@rambler.ru

*Bibliotheca classica Petropolitana;*  
*Universitas Petropolitana*

Describing Caesar’s attempts to keep Pompey from leaving Brundisium’s harbour with the help of masonry and rocks, Lucan compares this useless work with throwing mount Eryx into the Aegean sea and Gaurus into the lake Avernus (2, 665–668). The former is most surprising. Editors that retain the reading of the manuscripts either interpret *Aegaei* as a designation of a deep sea in general or

<sup>9</sup> Supra n. 6.

<sup>10</sup> M. Annaei Lucani *Pharsalia* cum varietate lectionum argumentis et selectis variorum adnotationibus quibus suas addidit P.-A. Lemaire. Vol. I (Parisiis 1830) 211.

<sup>11</sup> Lucain, *La Guerre Civile (La Pharsale)* I : Livres I–V. Texte établi et traduit par A. Bourgery (Paris 1976) 60.

<sup>12</sup> Lukan, *Der Bürgerkrieg*. Lateinisch und Deutsch von G. Luck (Berlin 1989) 142.

<sup>13</sup> Lucan, *De Bello Civili. Book II*. Ed. by E. Fantham (Cambridge 1992) 210.

incriminate to Lucan a geographical error. The most popular emendation is Bentley's *Aeolii*, supported by Housman.

The author defends Burmann's proposal that the "Aegean sea" refers to a part of the Mediterranean near the Aegadian islands to the north of Sicily. In general, Lucan is rather bold in forming geographical epithets, cf. *Perseus* in the sense of *Persicus* in 6, 449. Moreover, there is another passage in the *Pharsalia*, where *mare Aegaeum* arguably stands for the "Aegadian" sea, viz. 5, 612–614: thus the Tyrrhenian sea migrated to "Aegadian" would be geographically symmetrical to the following conflict of the Ionian and the Adriatic seas.

Описывая попытки Цезаря при помощи массивных глыб загородить Помпею выход из гавани Брундизия, Лукан сравнивает тщетность этого труда со сбрасыванием горы Эрика в Эгейское море, а Гаврского хребта – в Авернское озеро (II, 665–668). Последний образ с географической точки зрения представляется естественным, но мысль о сталкивании Эрика в Эгейское море вызывает недоумение. Издатели, сохраняющие текст, предлагают понимать *Aegaei* как обозначение любого глубокого моря или же видят здесь географическую ошибку. Из исправлений особенно популярно *Aeolii* (Бентли, Хаусмен).

Автор поддерживает предложение Бюрмана понимать под "Эгейским морем" участок Средиземного моря, прилегающий к Эгатским островам. В пользу этого говорит смелость Лукана в образовании географических названий: ср., например, *Perseus* вместо созвучного *Persicus* (о Вавилоне, VI, 449). Кроме того, в "Фарсалии" обнаруживается ещё одно место, где можно предположить, что "Эгейским" морем названо "Эгатское", – V, 612–614: идея о переходе Тирренского моря в воды "Эгатского" была бы географически симметрична последующим словам о столкновении Ионического и Адриатического морей.